Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 1ma

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Distinctio Tertia

De Actibus humanis secundum bonitatem & malitiam eorum spectatis

Explicavimus hactenus varias voluntatis actiones, tam elicitas quam imperatas, quas homo libere operatur, ac proinde humanas appellamus: Agendum nunc est, de duabus earundem affectionibus, bonitate videlicet & malitia morali. Distinguitur autem actionum humanarum moralitas in eam, quae ordinis naturalis est, & in illam, quae ordinis est supernaturalis. Naturalis moralitas est, quae convenit homini praecise ut cognoscenti & libere volenti finem suum naturalem, abstrahendo à fine supernaturali. Supernaturalis moralitas est, quae convenit homini praecise cognoscenti & libere volenti finem suum supernaturalem. Usus fere jam obtinuit apud nos, ut illae tantum actiones dicantur morales, quae circa finem hominis naturalem versantur, quaeque viribus naturae exerceri possunt. Aliae autem dicuntur supernaturales, quasi à moralibus distinguuntur, & ob bene nobis volentia. Quaeritur jam, quid & quotuplex sit moralitas formalis.

Quaestio jma.

Quid & quotuplex sit moralitas formalis.

Notandum 1mo nomen moris, à quo morale derivatur, latissimo significatu significare frequentationem actuum eiusdem generis, sive actus sint vitales, sive invitales sint; quo significatu lapis v. g. descendendi morem habet. — minus lata, & paulo strictior, neque tamen propria moris acceptio est, cum significat tantum frequentationem eiusdem generis vitalium, sive eliciendi, abstrahendo, an actus illi eliciantur cum formali, an tamen mentali cognitione finis: quo modo leones cum impetu irruendi morem habent secundum mathaborem ii. Propriissima vero & in scholis recepta notio moris est, quando significat frequentationem eiusdem generis, et ita mos actibus liberis conveniat, & actus liberi dicantur morales, & affectionem quandam convenientem iis dicuntur obiectis, circa quae versantur actus liberi. Quare

Notandum 2do duplicem esse moralitatem. una dicitur formalis, eaque reperitur in ipso actu, qui proinde bonus & malus dicitur formaliter. Altera dicitur obiectiva, quae reperitur in obiecto, & constituunt rem in quantum est, obiectum bonae, sive honestae aut malae sive turpis actionis, & facit idem obiectum honestum, & secundum rectam rationem amabile aut abominabile.

Notandum 3tio. Ipsam liberae actionis frequentationem esse duplicem, unam actualem, alteram potentialem; non necesse enim est, ad id, ut actus liber moralis denominetur, ut iam actu praecesserit similium aliorum actuum frequentatio, sed sufficit ut idem actus frequentari possit, adeoque sufficiat frequentatio potentialis.

Notandum 4to ab actu morali & libero eiusdemque obiecto, sub moralitas [moralitas] se convenit ~~[illegible]~~ secundum aliquam analogiam vocari morales et alias res aliquo modo ad actum spectantes, cuiusmodi sunt

jmo virtutes facultitantes voluntatem ad eliciendos actus morales, quae cognominantur
morales, partim à causis suis, quatenus à generalibus partim à
subjectis, quia voluntatem facultitant ad eliciendos actus morales.
2do Scientia, quae de actibus moralibus tractat, dicitur Ethica, sive moralis, partim
ab efficiente suo, quippe ab actibus moralibus generatur, partim ab objecto
videlicet actu morali quem considerat.

Notandum 5to ad clarius intelligendum quomodo sit formaliter
moralitas in actu humano, utile esse, si consideremus ea, quae in actione libera
praesertim interiore concurrunt. Primum est physica humani actus entitas,
& haec est actui essentialis. 2dum est habitudo humani actus ad suum objectum
quae itidem actui est essentialis, & ab eo inseparabilis, siquidem per ipsam habitudinem
istam transcendentalem dicitur actus specificari ab objecto. 3tium productio
& inhaesio actus humani, qui à voluntate ut à principio vitali elicitur, & illam
informat, quae productio vitalis & inhaesio actui libero est essentialis
est, saltem si loquamur de productione & inhaesione habituali.
Quartum denique est, habitudo actus humani ad istius productionis modum;
respicit n. actus moralis non tantum ipsam voluntatem, ut principium productivum,
sed et modum, quo et quomodo utique, quia libere à voluntate producitur, qui
modus productionis, sive libertas voluntatis spectari potest duplex.
Una spectari potest in actu primo, quo pacto voluntas est libera etiam tunc
dum aliquem elicit actus necessarios, ut amor vel odium, quod saepe in somno
habet, procedit à potentia in actu primo libera. Altera est libertas
in actu 2do, quando nimirum actio procedit à voluntate, hic & nunc libere
operante.

Dispositis certum est, praedicta omnia requiri ad hoc ut actus
humanus possit denominari moralis: at controversia haud levis inter
auctores est, utrum ista sufficiant, an vero praeterea aliquid requiratur ad
actus moralitatem, quorum diversae sententiae ex sequentibus conclusionibus patebunt.

& praeter ex communi argutis.

Conclusio 1ma. moralitas actus non consistit formaliter in ipsamet actus libertate. Contra Thomistas &c. Probatur. non potest aliqua res formaliter multiplicari, nisi multiplicatur eius formalis ratione; sed moralitas potest formaliter multiplicari, non multiplicata libertate. ergo.

Major ab omnibus admittitur. minor probatur. quia volitio furandi gladium ad adulterium continet duplicem malitiam moralem, & unam tamen libertatem. ergo imo vice versa potest multiplicari libertas, non multiplicata moralitate V.g. homicidium sive directe sive indirecte volitum est eiusdem rationis specificae moraliter, non tamen quoad libertatem, cuius alia libertas est directa alia indirecta.

Conclusio 2da moralitas non est modus intrinsecus superadditus entitati actus. contra recentiores contra Caiet. Quaest. 1ma. 1. & alios. Probatur 1mo. non sunt multiplicanda entia sine necessitate; atqui nulla necessitas est [illegible] modum ponendi, realiter moraliter ab actu distinctum, cum sufficit omni ratio & posita sola libertate cum advertentia ad honestatem vel inhonestatem obiecti, actus fit formaliter moralis. Probatur 2do quia antecedenter & independenter ab illa relatione modali datur fundamentum illius relationis, ut etiam adversarii concedunt, ergo ante hunc modum actus liber non est moraliter bonus vel malus. Consequentia patet: quia ideo respicit ille modus relativus, quod quidem tamen, ideo modus actus respicitur ad regulam & dictamen rationis, quia est iuxta vel contra regulam, ergo hoc ipso iam est bonus vel malus, & hoc ipso independenter ab omni relatione modali placet aut displicet Deo.

Conclusio 3tia. moralitas est denominatio adaequata intra, ad quam essentialiter actui liberae, libere eliciti, & consistit in relatione transcendentali ipsius actus ad obiectum & regulas morum subditum. Ita Palud. in suis assertionibus Thgeis. l. 1. de act. hum. cap. 12. &c.

Observandum 1mo duas esse reglas morum legem nimirum aeternam in mente divina residentem, quae se habet ut prima regula 1ma, et dictamen rationis practicum praecipiens aut prohibens, quatenus legem aeternam participat, et hoc dictamen dicitur regula formalis proxima et mediata.

Observandum 2do dictamen rationis practicum esse duplex: unum in communi, quod sit agendum vel detestandum, quod a synderesi elicitur; alterum vero praescribens aut dictans, [illegible] et nunc in particulari agendum aut omittendum, et elicitur a prudentia. In quo autem sensu utrumque dictamen dicitur formalis regula morum, patebit ex quaestione 1ma et sect. 4. q. 2.

Probatur 1ma partis esse; quia in actibus humanis et moralibus facultates includuntur scilicet esse voluntarium, esse liberum, esse morale, atqui esse voluntarium et esse liberum saltem radicaliter sunt denominationes adaequate intrinsecae; nec minus 3tium, cum hoc nihil aliud dicat, quam ordinem sive tendentiam in obiectum honestum vel inhonestum, sed haec tendentia est intra actum moralem: ergo. minor constat ex mox dicendis de specificatione potentiarum. Esse vero morale, quod nihil aliud dicat quam respectum transcendentalem ad obiectum vel regulas morum subditum, quod fuit major syllogismi et altera pars conclusionis.

Probatur 2da; illud res distinguit, quod constituit; eiusque aliud constitutivum et distinctivum sunt idem, sed actus moralis distinguitur a physico per intrinsecum ordinem ad obiectum regulis morum subditum, ergo actus moralis per eundem ordinem constituitur in esse moralis. Major et minor constat. Etenim distinctio actuum non a principiis sed ab obiectis dependens, ab specificatione.

Conclusio 4ta. Triplex bonitas moralis in actu humano distingui potest: prima sumitur ab obiecto, seu fine intrinseco, 2da a fine extrinseco, 3tia ex circumstantiis. Prima est bonitas actus primaria, reliquae sunt tantum secundariae; ita S. Thomas 1.2. et Theologi in 2da distinctione et 40 q. 1. Ratio est, bonitas moralis sumitur a conformitate ad regulam rectae rationis; atqui recta ratio dictat actum debere versari circa obiectum honestum, circa honestum finem, et cum honestis circumstantiis: unde si aliquid illorum sit turpe, iam actus non erit honestus, sed turpis; si autem tam obiectum quam finis et circumstantiae fuerint pravae, tunc actus habebit malitiam triplicem illi honesti oppositam.

Conclusio 5ta. Bonitas et malitia actuum humanorum, quae ex obiecto desumitur, [illegible] de actibus [illegible] non sunt qualitates, tamen sunt differentiae essentiales inter se oppositae bonitas et malitia eorundem actuum, qua moralium, et adaequate dividunt genus moris. Ita S. Thomas q. 18. a. 5. et q. 19. a. 1. etc. Ratio est, quod bonitas et malitia moralis ex obiecto sumpta sint essentiales differentiae est: quia actus voluntatis liberi, habentes [illegible] dicunt essentialem ordinem ad obiectum, adeoque specificantur ac proinde speciem bonitatis aut malitiae moralis sortiuntur, ex ordine ad idem obiectum necessario, ubi ea honestas aut turpitudo [illegible]; prima est actui essentialis, reliquae vero bonitates aut malitiae, si quae conveniunt ex circumstantiis, veniunt tantum accidentaliter et secundario

ut infra magis declarabitur.

Arguitur 1mo posita sola libertate, & praecisis praecise ab omnibus aliis actus hominis est moralis; & sublata sola libertate positis aliis omnibus actus hominis non est moralis; ergo tota moralitas consistit in libertate, & solum differt ratione nostrum considerandi sicut quod consistit libertas principium operans cum distinctione, moralitas non consistit eum animum operandi constituit, seu principium agentis liberi: unde S. Thomas & alii passim pro eodem sumunt actum liberum & humanum sive moralem. Et Confirmatur: quia voluntas, ut est principium liberum, est morale, ergo omnis actus liber ut est liber, sive ut est actus principii liberi est actus moralis, & consequenter tota moralitas consistit in sola libertate [illegible]. Ad argumentum nego antecedens quia posita sola libertate, & praecisis per intellectum omnibus aliis, non habetur adhuc aliquid plus quam esse physicum, & in genere naturae, adeoque non habet esse morale, & spectans ad mores.

Quod attinet ad S. Thomam & alios doctores, eos pro eodem sumere actum liberum & moralem, id quod formaliter sunt idem, sed quod materialiter, sive realiter idem sunt, omnis actus liber & moralis. Ad confirmationem distinguo antecedens: voluntas ut est principium liberum, est agens morale inadequate & formaliter concedo antecedens; est agens morale adequate & praecise, ut principium liberum est, nego antecedens et consequentiam non enim negatur quoque libertatem esse formaliter moralitatis ipsius, in ea tamen sola, moralitas tota non consistit.